



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij  
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

**Sánchez, Tomás**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

2. Beneficium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41559**

tionibus, *lib. 7. disp. 7. nu. 6. 7. & 8.* Prohibita est etiam in his temporibus traductio sponsæ in sponsi domum, si aliquantulus sit excessus subventali. Et si fuerit moderata traductio, nulla culpa erit. Dicitur autem traductio solemnibus conuiuium, & vanum lætitiæ signum, *ibid. n. 15. 16. 17. & 18.*

## Beneficium.

1 Beneficium non amittitur per sponsalia de futuro; tamen amittitur per matrimonium validum, etiam nondum consummatum non expectatâ iudicis sententiâ. Nec recuperatur sponsâ proficiente. Amittuntur etiam accessus, regressus, & quælibet alia iura ad beneficium Ecclesiasticum competentia, *lib. 7. disp. 42. à nu. 1. vsque ad 7.*

2 Clericus contrahens matrimonium validum, retinēdo beneficium peccat mortaliter, & tenetur dimittere illud, & potest impetrari tanquam vacans, ac alteri conferri, & tenetur restituere omnes fructus à se post matrimonium initū perceptos; nec potest matrimonio iam contracto resignare beneficium in fauorem tertij, *lib. 7. disputat. 42. à num. 10. vsque ad 3.*

3 Beneficia non amittuntur ipso iure per matrimonium contractum inualidè, quacumque de causa sit nullum: siue eo, quod sit in sacris constitutus, siue ob consanguinitatem, vel aliud impedimentum dirimens, siue scienter, siue ignoranter, siue ex defectu arti-



eis quocunque modo, vel defectu consensus; vel quando est nullum eò, quòd fuit sine parochò. Tandem potest clericus resignare beneficium tertij post matrimonium contractum irritum, antequàm eo priuetur per iudicis sententiam, *lib. 7. disp. 42. à nu. 1. vsque ad 9.*

4 Quicunque coniugatus est incapax beneficij, & etiamsi habeat animum sumendi statim ordines, *l. 7. disp. 42. nu. 14.*

5 Capax est beneficij coniugatus, quando legitima vxoris licentia obtenta, ad sacros ordines promouetur, ipsa sene promittente continentiam, aut iuvene proficiente. Idem dicendum de illo, qui ob vxoris adulteriũ legitimè ad ordines promouetur, *ibid. nu. 16.*

6 Suscipiens, vel recipiens coniugatus beneficium non iuuatur regulã de triennali possessore. Secus dicendum de alijs inhabilibus, vt irregularis, aut excommunicatus, *ibid. n. 15.*

7 Vt coniugatus obtineat beneficium, solus Papa dispensat, siue sit curatum, siue simplex, *ibid. nu. 18.*

8 Beneficia non vacantia ipso iure potest beneficiarius lite pendenti, antequam priuetur, ipsa resignare non obstãre, quòd alius impetrarit, si clericus his priuetur; Et non obstãre ea impetratione, si Episcopus posset dispensare, vt ille delinquens retineret beneficium, non impediretur ea dispensandi facultas, *lib. 6. disp. 42. n. 2.*

9 Coniugatus beneficij incapax, est quoq;



pensionis incapax, nisi sit capax ex dispensatione Pontificis, *lib. 7. disp. 44. nu. 9.*

10 Recipiens beneficium curatum, animo recipiendi sacerdotium intra annum, non tenetur fructus perceptos restituere eo tempore, quo sanam habuit intentionem, quamvis postea mutatâ voluntate non promoueat intra annum. Idem dicendum de recipienti animo non promouendi, & postea voluntate mutatâ intra annum promotus, *lib. 7. disp. 45. nu. 1. 7. 8. & 9.*

11 Qui recepit beneficium curatum, hæsitans an promoueat, aut conditionali intentione, nimirum ascendendi ad ordines tempore sibi iure præfixo, nisi interim scilicet quid sibi contingat, ut mors fiat primogeniti; nõ tenetur fructus restituere, si loquamur de conditionali. Si autem animus sit verè dubius, & hæsitans, secus dicendum, *lib. 7. disp. 45. nu. 10.*

12 Qui recepit beneficium curatum cum intentione promouendi, & postea mutatâ, nõ promotus est, non tenetur fructus perceptos restituere à tempore, quo mutauit intentionem. Item non peccat accipiens illud animo non retinendi in perpetuum, sed donec pinguis fiat, *lib. 7. disp. 45. nu. 11. & 12.*

13 Recipiens beneficium curatum intentione non promouendi intra annum, nec promotus est, tenetur in foro conscientie restituere fructus perceptos eo tempore iniquæ  
volun-



voluntatis: & peccat mortaliter. Attamen statim acquisiuit dominium, etiam durante malâ intentione, *lib. 7. disp. 45. nu. 1. 2. 3. 4. & 5.*

14 Peccat mortaliter, sed non tenetur ad fructus restituendos recipiens beneficiû simplex, cui est annexus ordo sacer, cum animo non sumendi ordines, sed transeundi ad matrimonium. Idem dicendum, si animus sit dubius. Secus si conditionalis. Dicitur autem beneficium, cui annexus est ordo sacer, illud, quod obligat ad onus aliquod petens ordinem sacrum, *lib. 7. disp. 45. nu. 13. 14. & 15.*

15 Beneficium simplex, cui non est annexus ordo sacer, recipiens animo contrahendi matrimonium, non peccat mortaliter, sed tantum venialiter. Idem dicendum de acceptante pensionem eodem animo, *lib. 7. disp. 45. num. 19. & 20.*

16 Collatio beneficij, aut præsentia irrita, confirmatur dispensatione superuenienti, & non indiget aliâ nouâ collatione, aut præsentatione, *lib. 8. disp. 7. nu. 12.*

17 Beneficium principis est latè interpretandum, quando nihil contra ius, sed præter disponit, *lib. 8. disp. 1. nu. 4.*

*Bestialitas.*

1 Bestialitas est causa diuortij. Secus dicendum est, si concubitus sit cum bestia mortua, *lib. 10. disp. 4. nu. 4.*

*Bigamia.*

1 Irregularitas bigamiae fuit inducta propter